

PRÆFATIO AD LECTOREM.



Sapientissimus ille Hermes Trismegis-
 tus, cum à Pymandro interrogaretur
 Quidnam & audire & discere vellet
 Respondit ille, Cupio, inquam, Deum re-
 rumq; causas cognoscere. Adeò generosi-
 mentibus sciendi cupiditas innata est, Ut summa eis sit
 consolatio & voluptas, spaciari in campo contemplatio-
 nis altissimarum rerum. Illa enim à fonte eternitatis o-
 riginem ducens, semper suum principium respiciens
 nusquam in rebus caducis ac transitoriis requiem in-
 veniens: ab instinctu innato sublimiora ac altiora tra-
 ctare semper desiderat.

Hinc vetusti sapientes non contenti contemplatione
 siderum orbiumq; cœlestium, atque aliarum rerum
 physicarum, quæ in hoc sublunari orbe continentur
 quæ omnia caduca sunt & corruptibilia. Verùm longe
 profundius abditissima naturæ secreta indagantes
 Gemmam repererunt preciosissimam, quæ longissimo
 intervallo omnia ex elementis corruptibilibus generata
 atque producta post se relinquat. Quæ merito ab om-
 nibus sapientibus pro miraculo naturæ habitata est. Ipsa
 namq; tanquam centrum existit omnium rerum crea-
 turarum: Quin in ipsa omnes vires ac virtutes omni-
 um siderum, plantarum, Lapidum, Animalium, ac
 Mineralium, essentialiter ac realiter, plenariè ac suffi-
 cienter continentur. Ita quod inter omnia creata huius
 mundi nihil preciosius nec utilius hac Gemma ipsa in-
 veniri possit. Quæ non solum mirabilem Sympathiam
 cum omnibus rebus creatis habet, verum etiam efficacia
 potestate